



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio contra Empiricos Medicos, qui magna cum pernicie hominum
Medicinam exercent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734



Difficile est de Medicina
perire orationem, quae tam
um effugiat, cum toties
ea, hoc in loco copiose
culenter dictum sit. Et alio
qui utilitates huius artis
sunt in cōspectu omnibus

iure censendus sit ingratis-
simus, si quis nō mem-
nit: Magni autem negocij est prestare in re nota,
& peruulgata, ne fastidiatur oratio. Ego igitur
hoc tēpore omissa laudatione nostrae artis, scripsi
quandam querelā huc afferre decreui, uel ut ad-
tores cōmonefacerem, ut hanc artem maiore ri-
gione tractarent, uel certē, ut dolori meo morem
gererem: quem, quo diutius in arte uersor, et dig-
tatē, magnitudinemq; eius propius aspicio, quon-
die maiorem concipio, cum cogito eam ab illi-
tis impostoribus, magna cum pernicie hominum
exerceri, qui contaminant et corrumpunt artem.
Et quoniam ex horum moribus et factis, multi-
tota professione existimāt, uerae doctrinae fides
discrimen uenit. Vt autem Apelles pictor, si pro-
cipuam aliquam suarum tabularum collocatam

Medicinae hi-
striones.

Apelles.

lustrari loco, deformari ac aspergi luto uideret, maximo dolore afficeretur, propter artis contumeliam: Ita me quoque miseratio quaedam subit, intuentem quam indignè tractent Medicinam histriones quidam, qui se uenditant pro Medicis, cum artem nunquam didicerint. Neque usquam opinor hanc iniuriam artis iustius deplorare queam, quam apud uos, qui cum dignitatem, atque uim maximarum disciplinarum intelligatis, iure me stomachari iudicabitis. Et fortasse de suis artibus cogitantes singuli, dolebunt in commune uicem omnium studiorum, cum reputabunt nulli professioni deesse hoc genus histrionum. Ego uero etsi propter dignitatem studiorum ac literarum, etiam aliarum professionum abusu commoueor, tamen omisit alijs, tantum de mea arte dicam, quae quo fructuosior et gratior est hominibus, hoc plures habet, qui famam artis affectant. Nullius generis artificis plures reperiuntur, quam Medici. Sed magna est, ut Iurisconsulti dicunt, artificum differentia. Quidam profitentur artem, pollicentur hominibus salutem in maximis periculis, cum nunquam didicerint: sed alicubi in Myropolijs, aut Tonsrinijs seruiuerunt, ubi transcripserunt quaedam remedia, quorum neque causas, neque uires norunt, neque quo in loco ualeant. Neque uerò tam stulti sunt, ut

Abusus omnium
artium, maxime
Medicinarum.

V V hoc

Rhetorica im-
postorum.

hoc instrumentum ad existimationē colligendam
satis esse putent: Sed mutantur ex Rhetorica
lias quasdam artes, per quas magis, quam benefi-
cio illorum remedium inlarescunt, prolixè de
se promittūt, detrahunt de existimatione aliorū.
Scitum est enim laudē ex aliorum uituperatione
querere, domi suæ apparant remedia, ut reddant
aliorum operam suspectam, callidè obseruant af-
fectus ægrotorum, aut istorum, quibus ægroti chi-
ri sunt, ad hos alludunt, his parasitantur. Si in ma-
gnis periculis, alij simul adhibiti fuerint, hinc que-
dam à collega furati, pro proprijs clam obtine-
dunt, ut collega detrahant fidem, cum succedant
alijs, remedia à prioribus scripta trahunt eadem,
sed fucata, ne imperiti agnoscant. Si quid boni
rei euenit, laudem in se transferunt, si quid secus
accidit, deriuatur omnis culpa in alios. Et quoni-
am in hac uanitate ingeniorum humanorum, præ-
dictiones etiam requirunt homines, maxime æ-
groti: ut curiosis satis faciant, iactitant se astro-
consultere, cum quidem non ex astris, sed ex con-
iuris presentibus uaticinentur. Vidimus etiam
qui Magicen adhibebant, qui ex urina non solum
de morbo diuinabant, sed narrabant etatem, di-
gnitatem uitæ, formam ægroti, etiam si esset
ignotissimus. Talibus artificijs admirationem

Astrologia.

sibi pariunt, non scientia medendi, et concurritur ad hos impostores, sicut concurrit populus ad sanctos. Nam hi quoque uidentur exercere Medicinam, ad S. Valentinum, Vitum, Genesefam. Quid est autem indignius, quam prestantissimam artem diuinitus ostensam humano generi, ad uitam tuendam, continentem doctrinam maxime liberalem, uidelicet, nature corporum cognitionem, ita corrumpi & adulterari, admixta uel peruersa quaedam Rhetorica, uel magia, uel hoc genus alijs ^{Dignitas &} ^{præmia.} imposturis. Leges dant actionem contra illos, qui adulteratas merces uendunt, & atrociasupplicia in eos constituunt. At isti histriones Medicinæ, pro summo scelere, auferunt maxima præmia, seruntur in oculis, coluntur à populo, adorantur tanquam Semidei, mercede maxima conducuntur cum summo periculo: Sæpe enim uidimus egrotos dare pœnas inscitie, & auidacie horum histrionum. Et cum multa prognostica colligantur ab omnibus circumstantijs, à figura corporis, à gestu egroti, à locis, à regionibus, ex quibus iudicari de exitu morbi potest: mihi tamen nihil aliud signum certius exitium portendere uidetur, quam si talis histrio adhibitus fuerit. Vulgare est, artem exerceat qui didicit. Nemo enim ^{Impudentia.} tam impudens est, ut profiteri Musicam ausit, nisi

nisi didicerit. Quomodo enim ludet fidibus is, qui nunquam didicit. Hoc si in his leuioribus artibus accidit, quanto minus ferendi sunt isti, qui cum nunquam didicerint, tamen hanc artem longè maximam ac difficillimam profitentur. At uideamus quàm plurimos esse, qui quasi ab Aesculapio, totam artem per somnium semel acceperint, uenditant se inter Medicos, etiamsi nullam unquam paginam Hippocratis, aut Galeni, aut Auicennæ legerunt. Ac uidentur etiam irridere totam doctrinam, quæ in scholis traditur, & sepiunt: Vident enim uulgus plus admirationis habere parasiticam illam, quàm ueram philosophicam: uident magis quæstuosam esse histrionicam, quàm ueram medendi artem. Sed obijciat hic aliquis, plerosq; illiteratos magnam experientiam habere, quæ non minus ualeat, quàm ars, quàm doctrina. Assentior multùm pollere experientiam: ex hac enim ars paulatim nata est. Sed postquam ars reperta est, ideo traditur, ne quid temerè, cum periculo aliorum experiamur, sed priora experimenta imitantes, certam medendi rationem teneamus. Proinde qui relicta arte, per sese uolunt experiri quid prosit, quid obsit, hos sapere continget errare, & discent magno malo agrotatum. Nihil est fallacius experientia in tanta uari-

Gatena ex
Hippocrate.

Obiectio.

Experientia
est fallax.

tate circumstantiarum, ad quam non adhibetur ratio et doctrina, sicut initio Aphorismorum admonuit Hippocrates, cum inquit, experientiam periculosam esse, & iudicium fallax. At isti empirici, inò histriones, abiecta arte tantum confidunt experientia, et iudicio suo, quorum utrumque incertissimum est. Hippocrates adeò diffusus est experientia, ut præceperit, postquam non respondit eventus Medicinam secundum rationem facienti, ne quid præterea tentet. Videte autem istos indoctos, collectanea habent remediorum, ab obstetricibus, à tonsoribus, à Magis, à Iudeis transcripta, ex his eligunt initio aliquid, quod illecebras quasdam habet: Nolunt enim statim in ipso aditu offendere animos ægrotantium. Hoc si parum profecit, statim aliud experiuntur, & fit sæpenumero, ut ipsa remediorum dissimilitudo, nouum morbum gignat. Hæc sæpe accidere uidi, quare nihil est, quod isti suam nobis experientiam prædicent. Ars gubernat, & imitatur experientiam non indoctorum, sed præstantissimorum. Isti uerò sine præceptore, sine magistris, suis exemplis discunt. Si Dux in bello eligendus sit, nemo opinor eliget Thrasionem, qui nullum unquam uiderit Imperatorem, quem imitari, sed suis exemplis promittit se uelle cognoscere

Collectanea re-
mediorum.

Experientia sic
penes doctos.

gnosceret omnia officia Imperatoris. Ita Medicus adhibendus est, non qui noua experimenta sine ratione querit, & qui suis exemplis primam medendi uiam colligit. Sed qui ueterum doctrinam & experientiam imitatur. Fœlicem aint, quem faciunt aliena pericula cautum: quare non est consultum omiſſis ueterum exemplis, noua remedia, nouã uiam medendi experiri. Ac ne quis putet me experientiam aſpernari: Ego uerò illam quã maximè necessariam eſſe ſcio, ſed uiciſſim nolo artem contemni. Prudens Medicus conuenget utrumq; artem et experientiam. Nam experientia ſine ratione, ſine doctrina, ſine arte, nihil niſi domeſticum latrocinium eſt, & poſſunt multa exempla commemorare, quomodo decepti experientia contra rationem Empirici, uiros optimos crudeliſſimè interfecerint. Quare ſi quos nihil offendet indignitas, quod homines impudentes audent ſe titulo artis uenditare, quam nauquam didicerunt, tamen eſt humanum, periculi magnitudine moueri, quo minus ferant iſtos hiſtriones, quorum imperitia multos perire conſtat. Et accedit hoc quod auget periculum, imperitia parit audaciam, ut Thucydides ait: quare inter iſtos, ut quiſq; indoctiſſimus eſt, ita eſt audaciſſimus. Multi ſunt morbi quos doctiſſimi, et peritiſſimi

Experientia ſine arte latrocinium domeſticum eſt.

ritisimi Medici mouere non audent, multa inci-
 dunt symptomata ex causis adeò obscuris, ut eti-
 am doctissimi uiri dubitent, quomodo occurrant:
 Incredibilis est uarietas signorum ante Crisin,
 qua non rarò perturbat Medicum, quamuis sa-
 gacem. At histriones isti quoniam semel perfrin-
 cuerunt frontem, fortiter sunt impudentes, nul-
 lum morbum non attingunt, nullo symptomate,
 nullis signis perturbantur, et temeritas rarò ha-
 bet foelices exitus, leges puniunt imperitiam in
 medicis, grauissimè enim inquit Iurisconsultus,
 Non debet impunitum relinqui delictum decipien-
 tis prætectu humanae fragilitatis. Verùm istù non
 solum de imperitia tenentur, sed etiam de dolo, cū
 uires suas norint, et tamen existimationis tuendæ
 causa, omnia pericula contemnant, omnes mor-
 bos attingant. Porrò ad legem Aquiliam scribi-
 tur, dolum esse, si quis affectet aliquid, in quo in-
 telligit, aut intelligere debet infirmitatem suam
 alijs periculosam fore. Si pecunia tantum peri-
 cularetur, sarciri damna possent, nunc ludunt
 in tali discrimine, ubi si quid secus accidit, ne-
 que corrigi peccatum, neque sarciri iactura po-
 test. Quid enim reliquum est homini amissa ui-
 tæ? Quare in re tanta, Magistratus debebat im-
 pudentiam istorum coercere, præsertim cum
 multa

Iurisconsultus
 de imperitijs
 Medicis.

Ciuitates bene
constitutæ.

multa crimina in uno insint, quorum quælibet pu-
nas habent legibus constitutas. Et prudenter in
quibusdam ciuitatibus bene constitutis prouisum
est, ne quis exerceat Medicinam sine autoritate
collegij Doctorum Medicinæ. Quod si ubiq; ser-
uaretur, melius consultum esset hominum saluti,
cum in morbis non adhiberent nisi bonos uiros,

et doctos medicos. Nunc salutem suam committunt
eiusmodi nebulonibus, quibus non audent
exiguam pecuniam committere. Et tamen isti ad
curationem nihiletiam adferunt, nisi impudentiam
et audaciam plectendam legibus: Sed hanc con-
ram Reipub. Magistratibus commendemus. Vnde
interim priuatim, si quando opus erit, periculi
magnitudo admoneat, quales Medicos consulere
debeat. Tutius est enim adhibere bonos uiros,
et qui artem quam exercent, didicerunt, quam le-
uissimos impostores, et histrionicam magis quam
medicinam exercentes. Ego uerò in hac re, et
periculo publico maxime moueor, tamen præter
rea incredibili dolore afficior, propter contumeliam
artem et doctrinæ. Doleo enim negligi et con-

Indignum con-
temni adeo hæc
scientiam.

temni tantam scientiam pulcherrimarum in na-
tura rerum, quam autores nostri complexi sunt.
Neq; uerisimile, tantam uarietatem scientiæ re-
periri potuisse, nisi Deus istorum uirorum meo

tes, singulari afflatu mouisset, ad earum obseruationem, qui eas reppererunt, et pleraq; monstrasset abstrusa, quæ humano ingenio erui non poterant. Quæ tandem naturæ pars desideratur, quæ non sit patefacta atq; illustrata horum literis? gēma, plante, animantia, & partes animantium, temperamentorum uarietates, causæ morborū, causæ remedium. Multiplex ratio et conseruandæ sanitatis, et recuperandæ, quomodo inde usq; à conceptu ad extremum uitæ actum, natura fouenda, & aduersus morbos munienda sit, temperamenta elementorum, aëris, aquæ, locorum, quas habeāt causas, quos effectus, quæ sit cognitio qualitatum in corporibus inferioribus cum cœlestium corporum motibus, unde existant omnes in corporibus mutationes, quæ habeant tantum in materia causas, quæ etiam habeāt cœlestes causas: Breviter tota rerū natura, in nostris libris quasi picta cernitur. Quæ autem non iuuat ista legere, cognoscere, cōtemplari? Nam ad harū rerum inquisitionem atq; cognitionē, procreati atq; geniti sumus, ut inter sanos homines cōstat, et Poëta significauit cum inquit:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Et Plato inquit: Naturam hominis sine Philosophia, mancā atq; inutile esse. Verè autē hoc affirmari potest: Medicos adhuc in possessione ueteris

X illius

Rerum natura
in libris Medicorum depicta.

illius doctrine esse, quam unam et solam homines
 sapientissimi, qui tum apud Græcos, tum apud La-
 tinos, tum apud Arabes extiterunt, ueram Philo-
 sophiam esse iudicauerunt. Quare necesse est
 quorum animi non capiuntur hæc doctrina, uel
 natura hominum degenerasse, uel tanquam mo-
 stra, à natura inchoatos esse, non absolutos. Ad
 non portenti simile est, homines exercentes medi-
 cinam, et in hoc studio uersantes, tamen uelut
 Iyffes obstruxit aures, ne cantu Syrenum detin-
 retur, præterire obstructis auribus atq; oculis, do-
 ctinam omnium longè suauissimam ac liberatissimam
 simam delectant homines ludi et spectacula. Quam
 autem gratius spectaculum excogitari potest,
 quam ista pictura totius uniuersitatis rerum, quæ
 extat in nostris autoribus: Quæ possit hominibus
 pietati maior uoluptas contingere, quam oculis atq;
 animo admirabilem œconomiam, ordinem, uicem
 rerum maximè dissimilium in natura intueri
 istos histriones, neq; utilitas harum rerum, neq;
 suauitas ad discendum permouet, qui quidem
 magis odio digni sunt, quod etiam exemplo non
 cent. Plures enim sunt, ut fit inter homines, qui
 hanc histrionicam, cum habeat compendiariam
 uiam ad opes parandas, imitari uelint, quam
 perfectam doctrinam expetant, quæ nulli potest
 contra

contingere sine acerrimo studio: Ita paulatim ue-
 ra ars corrumpitur, doctrina neglecta paulatim
 collabitur. Ego uero quia doleo uicem optime ar-
 tis, non possum non succensere istis pestibus, quae
 ueram Philosophiam, qua nullum habent homi-
 nes ornamentum maius, opprimunt & extin-
 guunt. Ac uideamus etiã alijs temporibus, hoc ge-
 nus impostorum nocuisse arti: Galenus enim ualde
 queritur scelestè corruptam esse à Seruulo quo-
 dam nihili homine, Thessalo: Sed Galenus diuina
 ope, collabentem eo tempore doctrinam, restituit.
 Nunc nõ est unus Thessalus, sed ubiq; plena sunt
 impostorum omnia, & fatalis quaedam calamitas,
 artem urgere uidetur. Ac mihi consideranti inter-
 dum alias disciplinas, uidentur ex illis etiam plu-
 rimi, tantum uenari titulos, ad ostentationem &
 questum. Veram & perfectam doctrinam nemo
 expetit. Id signum, ut Medicorum more loquar,
 decernit interitum: Sed nolo malè ominari. Et ut
 aliquando finem faciam, adhortor uos, qui datis
 operam Medicinae, ut magnitudinem, & digni-
 tatè professionis uestrae consideretis. Sicarij sunt
 non Medici, qui egrotos attingunt, si sciant
 suam inscitiam illis periculosam fore. Dabitis
 igitur operam, ut perfectam doctrinam ad curan-
 dam afferatis. Et quia huic ordini, defensio ue-

X ij teris

Impostura temp-
 oribus Gale-
 ni.

teris & germanæ philosophiæ, à Rep. commenda-
 ta est, nolite cõmittere, ut quasi deserta statione
 proiecisse ac pradiidisse cum maximo publico lo-
 mmo, præstâtissimas artes uideamini. Cũq; hic or-
 do duobus iam millibus annorum, tot enim num-
 ratur anni ab Hippocrate, Philosophiæ professio-
 nem, summa cum gloria retinuerit, turpissimam
 esset eam nunc demum amittere. Atq; ego tametsi
 hæc ætas plusquã ferrea est bonis rebus omnibus,
 tamen erigor interdum spe quadam, cum nonnulli
 los uirtutis causa hæc studia tota mente, toto
 animo complecti animaduerto. Et si quis est huius
 modi, huic summa uoluntate, hunc honestissimum
 titulum Doctoratus, decernimus. Dixi.

DE ARTIBVS LIBERALIBVS
 oratio, à Philippo Melanthon Tubinga-
 gæ habita, Anno 1517.

EGREGIA VIRTUTE VIRO 10
 anni Stofflero Iustingensi, Mathe-
 matum professori, Phil.
 Mel. S. D.



Ermonem de liberalibus artibus
 bui nuper, uir clarissime, pro
 istorum, qui in philosophorum
 lis